

pugnantibus & absurdis, iudicio Dei reliquit, & vates veris-  
 simus interitum ipsis praedixit. Certum etiam hoc est,  
 Deum voluisse per Lutherum, tanquam per singulare organum  
 ea inchoare & perficere, eaque perfecisse, quae per alios  
 mille quantumvis potentes, doctos, & felices perficere no-  
 luit, atque unum Lutherum res divinas eo animo, spiritu &  
 successu tractasse, explicasse, fundasse & propagasse, qui alii  
 quantumvis clari & eruditionis nomine insignes, vix exor-  
 dum aliquod facere potuissent, aut si quod fecissent, in medio  
 illud reliquissent imperfectum, absterriti metu periculorum  
 καὶ ἀνδροβολισμῶν in hac vita. Nihil dedisse hic SEL-  
 NECCERVVM loco affectui apparet ex collatione Scri-  
 ptorum ipsius LVTHERI, & testium aliorum αὐτο-  
 πτῶν, qui idem de eo memoriae reliquerunt, quod hic  
 velit in compendio, nobis sistitur, brevique velut ta-  
 bella repraesentatur. SELNECC. Oratione de D. Luthero  
 p. 56. DOCTOR igitur fuit MARTINVS LVTHERVVS  
 rite creatus, dignissimus honoribus suis, imo si rem recte  
 reputemus, illis superior, cum ad maiora, quam ab  
 aliis doctoribus unquam facta sunt, aut fieri debebant,  
 destinatus fuerit a divino Numine. Unde evenit non  
 raro, ut inter tentationes, quas cumulatissimas & ex-  
 quisitissimas persensit, praeter alia solationum argumen-  
 ta etiam adhibuerit Doctoratus sui memoriam. Neque  
 hoc dissimulavit in libro ad edictum Imperatoris A. 1531.  
 T. V. Altenb. p. 559. postquam praemisit quaedam de  
 vocatione ad res feliciter gerendas necessaria, suum  
 exemplum interponit: *Ich aber, Doctor Martinus, bin  
 dazu geruffen und gezwungen, daß ich muste Doctor wer-  
 den obn meinem Danek aus lauter Gehorsam. Da habe ich  
 das Doctorat müssen annehmen, und meiner allerliebsten  
 Heiligen Schrift schwören und geloben, sie treulich und lau-  
 ter zu*

ter zu